Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut sicut beátus Jodócus Conféssor tuus, spretis mundi oblectaméntis soli Regi Christo placére stúduit, ita ejus orátio nos tibi reddat accéptos. Per eúmdem Dñm.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Confessórem tuum Jodócum mirificásti in terris, et gloriósum in cœlis fecísti: eúmdem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ constítue defensórem. Per Dñm.

MONACEN. ET FRISINGEN.

Sanctum Jodocum Confessorem, qui Titularis est alterius Ecclesiæ Parochialis in Civitate vulgo Landshut nuncupata, intra fines Monacen. Archidiœceseos, summopere venerantur tamquam cœlestem suum Patronum minus principalem Fideles incolæ ipsiusmet Civitatis. Quorum vota ejusdem Archidiœceseos Ordinarius depromens, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime efflagitavit, ut pro Officio et Missa de Communi Confessoris non Pontificis, exceptis Orationibus, huc usque in Festo S. Jodoci Patroni adhibitis, a Clero memoratæ Civitatis in posterum assumi valeat Officium cum Missa proprium, cujus schema ab Apostolica Sede approbandum, demississime exhibuit.

Quum itaque in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, infrascripta die ad Vaticanum habitis, ab Emo et Rmo Dño Cardinali Andrea Steinhuber, Causæ Ponente, exhibitum Officium cum Missa de S. Jodoco propositum fuerit; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus mature perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctæ Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.*

Quare propositi Officii et Missæ ab eodem Emo et Rmo Cardinali Ponente, una cum Fidei Promotore rite peracta revisione, Sacra eadem Congregatio, ea prouti huic præjacent Decreto, approbavit simulque indulsit ut in Festo S. Jodoci Confessoris a Clero Civitatis Landshut ejusmodi Officium et Missa adhibeantur.

Die 29. Januarii 1895.

+ Lj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præf.

Alexius Tripepi S. R. C. Secretarius.

Concordat cum Originali.

Monachii die 14. mens. Augusti 1895.

Dr. Josephus Kronast,
Vicar. Gener. in spiritualibus.
L. Schäffler Secret.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.